



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis


Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. VI. De actu fidei interno,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut earum nullum Authorem aliquid errasse firmissimè credam. Si autem aliquid in eis invenero quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum codicem esse, vel non assecutum interpretationem quod dictum est, vel minimè me intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, quantalibet sanctitate vel doctrinâ polleant, ut non ideo verum putem, quia ipsi ita senserint, sed quia per alios Authores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quia à verò non aberrant, mihi persuadere poterunt.



DISPUTATIO VI.

De actu fidei interno.

Ad quæst. 2. D. Thomæ.

CVM actus virtutis speciem desumat ab objecto, ipsumque habitum virtutis specificet, atque ita sit medius inter utrumque, post exactam objecti nostræ fidei considerationem, statim occurrit consideratio actus illius. Hic autem est duplex, internus nimirum, cuius definitio est, quod sit assensus firmus, in autoritate Dei obscurè revelantis fundatus; & externus, qui nihil aliud est, quam exhibitio signi alijus sensibilis, quo internus fidei actus declaratur. De primo agemus in hac disputatione; de secundo in sequenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ad actum internum fidei requiratur pia motio voluntatis?

I. Partem negantem tenent Scotus in 3. dist. 25. quæst. 1. & 2. Holcot in 1. quæst. 1. art. 1. & Picus Mirandulanus in Apologia, quæst. 8. diverso tamen ductu fundamento: duo enim ultimi existimant intellectum cogi ad assentiendum per motiva credibilitatis, non minus quam cogatur ad assensum conclusionum propter demonstrationem; unde sicut assensus scientificus non exigit piam motionem voluntatis, ita nec assensus fidei. Scotus verò docet ad actum fidei sufficere quod voluntas ad illum merè negativè se habeat, seu quod illi non resistat; minimè verò requiri quod intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis positivè applicet, ac determinet. Pro defensione affirmativæ sententiæ, quæ communis est apud Theologos,

Dico, ad actum internum fidei requiri motionem voluntatis, quâ determinet & moveat intellectum, ut credat id quod ipsi cum obscuritate proponitur.

2. Probatur primò ex Scriptura: nam ad Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam*, id est, voluntate movente & applicante ad credendum, ut explicat D. Thomas ibidem lect. 2. & Isaiæ 6. & Joan. 12. infidelitas Iudeorum adscribitur duritiæ cordis, id est obstinate voluntati. Item Lucæ 24. sic Christus increpavit duos Discipulos euntes in castellum Ematis: *O stulti, & tardi corde ad credendum!* id est, quorum voluntas ad credendum tardè & difficilè se determinat. Denique

Tom. IV.

A Actum 16. dicitur de Lidia Purpuraria: *Dominus aperuit ei cor, ut intenderet, & crederet his* quæ dicebantur à Paulo: ubi per cor significatur voluntas, quæ priùs tangi & immutari debet per auxilium gratiæ, quàm intellectus præbeat assensum veritatibus revelatis. Unde in Concilio Arausicano can. 5. asseritur, initium fidei, sive credulitatis affectum (qui est ipsa pia motio voluntatis) dari nobis per Spiritum Sanctum.

Probatur secundo ex Augustino Tract. 36. in Joannem, ubi sic ait: *Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens.* Ergo ex Augustino actus fidei est voluntarius, subindeque supponit motionem & determinationem voluntatis, applicantis intellectum ad credendum.

Probatur tertio: Assensus fidei est liber, non solum quoad exercitium, sicut actus scientiæ & intelligentiæ, sed etiam quoad specificationem, sive in ratione assensus potius quam dissensus: Ergo requirit necessariò piam motionem voluntatis, ratione cuius determinetur intellectus ad illum, tam quoad specificationem, quàm quoad exercitium. Consequentia est legitima: omnis enim actus liber intellectus, formaliter quâ liber est, dependet à voluntate, & indiget ejus determinatione. Antecedens verò probatur primò ex Tridentino sess. 6. cap. 4. dicente, quod hi qui

C justificantur, *Liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt.* Ergo ex Tridentino actus fidei est liber, etiam quoad specificationem. Secundo probatur idem Antecedens ratione: Positis omnibus motivis ad credendum, non solum non necessitatur homo ad eliciendum actum circa res fidei, sed nec etiam ad eliciendum actum assensus potius quam dissensus: unde Christo & Apostolis prædicantibus, & miracula facientibus, quidam mysteriis nostræ fidei assentiebant, alij verò dissentiebant; juxta illud Act. 28. *Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum; quidam verò viri adhaerentes ei, crediderunt.* Ergo assensus fidei est liber, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem.

D Tertiò, Actus fidei, si adsint conditiones omnes requisitæ ad meritum, est meritorius non solum quoad exercitium actus, sicut actus scientiæ, sed etiam quoad specificationem, & ex parte objecti, sicut actus virtutum moralium, ut docet D. Thomas hic art. 9. & patet ex illo ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam:* est etiam laudabilis, juxta illud Lucæ 1. *Beata quæ credidisti,* & istud Joan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ergo talis assensus, vel actus fidei, voluntarius & liber est quoad specificationem, & non solum quoad exercitium; actus enim eo modo, quo est meritorius & laudabilis, debet esse liber, cum libertas per se ad meritum & laudabilitatem actuum humanorum requiratur. Denique est speciale præceptum de præbendo assensu mysteriis nostræ fidei sufficienter propositis: At præceptum non datur de actibus necessariis, sed de liberis: Ergo &c.

E Quarto suaderi potest conclusio. Intellectus non determinatur sufficienter ad credendum, ab objecto sibi proposito: Ergo ut credat, indiget motione & determinatione voluntatis. Consequentia patet: intellectus enim solum potest determinari ab objecto, vel à voluntate. Antecedens probatur: Objectum non determinat suffi-

Pp ij

cienter ad assentiendum, nisi videatur in se immediate, ut constat in primis principiis, & in his quæ experimur, vel per necessariam consequentiam inferatur ex principiis visis, seu clarè cognitis, ut patet in conclusionibus scientificis. Sed objectum fidei nullo istorum modorum evidenter cognoscitur à nobis, cum tale objectum sit veritas obscurè revelata, tum in seipsa, tum in causis & effectibus sibi intrinsicis: Ergo intellectus non determinatur sufficienter ad credendum ab objecto sibi proposito. Hanc rationem insinuat S. Thomas quæst. præcedenti, art. 4. ubi sic discurret: *Fides importat assensum intellectus ad id quod creditur. Assentit autem intellectus alicui dupliciter: uno modo quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est vel per seipsum cognitum, sicut patet in principiis primis quorum est intellectus; vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia: alio modo intellectus assentit alicui non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem, magis quam in aliam. Et siquidem hæc sit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio: si autem sit cum certitudine, & absque tali formidine, erit fides.*

6. Hæc ratio probat contra Scotum, non sufficere, voluntatem negativè se habere, ut intellectus eliciat assensum fidei potius quam dissensum: nam voluntas negativè se habens, non supplet id quod requiritur ex parte objecti, ut determinet intellectum ad ejus assensum, nempe illius evidentiam; negatio enim supplere non potest defectum positivi, nec magis determinat ad assensum quam ad dissensum.

7. Objicies primò: Potentia non impedita potest per se ferri in objectum sibi sufficienter adnotum & propositum; ut patet inductione facta per omnes potentias, saltem quæ naturaliter & necessario agunt, quomodo certum est intellectum agere; solius quippe est voluntatis, positæ omnibus ad agendum necessariis, posse agere, vel non agere: Ergo non debet intellectus à voluntate moveri & impelli ad credendum, quando objectum fidei illi sufficienter proponitur, sed satis est illum non impediri, subindeque quod voluntas ad hoc merè negativè se habeat.

8. Hoc est præceptum Scoti fundamentum, cui facile responderetur, potentiam quidem non impeditam ferri ex se in objectum sufficienter propositum, quando objectum eam prorsus determinat: hoc autem nunquam intellectui contingit, nisi quando objectum illi ita evidenter proponitur, ut non possit assensum suum cohibere; adeoque quia objectum fidei, quantumlibet sufficienter propositum, semper manet obscurum & inevidens, ideo intellectum non potest determinare, sed ad hoc pia aliqua motio voluntatis omnino requiritur.

9. Objicies secundò: Fides stare potest cum evidentia in attestante, ut disputatione præcedenti ostendimus: Ergo & haberi absque pia motione voluntatis; nam in quo est hæc evidentia, non est necessaria pia voluntatis affectio: unde licet in demonibus sit fides, cum de illis dicat D. Jacobus quod *credunt & contremiscunt*, tamen quia habent evidentiam in attestante, & convincuntur evidentia signorum & miraculorum, ibi non intervenit motio aliqua voluntatis, determinantis eorum voluntatem ad credendum, sed credunt veluti invitati, & coacti.

A Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: licet enim aliquis habeat evidentiam in attestante de aliqua veritate, quia tamen veritas in se obscura est, & non visa, non potest de se efficaciter & infallibiliter determinare intellectum ad assensum, atque adeo postulat aliquid quod suppleat ejus insufficientiam; & hoc est pia motio, seu affectio voluntatis, ut supra ostensum est. Unde ad illud quod subiungitur de demonibus, qui teste D. Jacobo credunt & contremiscunt, dicendum est, quod quamvis in illis non sit pia affectio voluntatis, quia non credunt fide laudabili, & infusa, quæ sit donum Dei, sed aliquo modo coacta, in illis tamen est actus voluntatis quo volunt credere, ut docet D. Thomas infra quæst. 5. art. 2. ubi sic discurret: *Quod voluntas moveat intellectum ad assentiendum, potest contingere ex duobus: uno modo ex ordine voluntatis ad bonum, & sic credere est actus laudabilis: alio modo quia intellectus convincitur ad hoc quod iudicet esse credendum his quæ dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei. Et postea concludit quod in fidelibus Christi laudatur fides secundum primum modum; & secundum hoc non est in demonibus, sed solum secundo modo. Sentit ergo etiam demonis intellectum assentire rebus creditis propter imperium voluntatis, & voluntatem movere ejus intellectum ad assentiendum mysterijs fidei, non quidem ex ordine voluntatis ad bonum, sed quia intellectus convincitur ex miraculis & alijs signis, ad iudicandum illis esse credendum: sicut motio voluntatis ad credendum requiritur in eo qui ob signa manifesta credit mortem patris, aut aliam rem sibi exosam & nocivam, quamvis nullà pià affectione & complacentià circa ipsam moveatur.*

Objicies tertio: Voluntas non potest movere intellectum ad assentiendum potius quam ad dissentiendum rebus fidei: Ergo ad talem assensum non indiget intellectus pià motione voluntatis. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Voluntas non potest movere intellectum ad specificationem actus, sed solum ad ejus exercitium: Ergo nec ad assentiendum rebus fidei, potius quam ad dissentiendum. Consequentia est evidens, Antecedens verò probatur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 9. art. 1. docente proprium esse voluntatis movere omnes potentias quoad exercitium actus, intellectus verò movere quoad specificationem.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, nego iterum Antecedens. Et ad ejus probationem, ex D. Thoma desumptam, dico quod licet proprium sit voluntatis determinare intellectum solum quoad exercitium actus circa aliquod objectum, quando à tali objecto sufficienter quoad specificationem determinatur ipse intellectus, ut contingit in demonstrationibus scientificis, in quibus objectum ratione suæ evidentie totaliter convincit intellectum; si tamen objectum, ratione suæ inevidentie, relinquit intellectum indifferenter ad speciem actus, ad assentiendum, vel dissentiendum, tunc pertinet ad voluntatem, ipsum quoad hoc determinare, subindeque etiam quoad specificationem movere: maxime cum intellectus & voluntas, ob naturalem sympathiam & connexionem quam habent ad invicem, sibi mutuò quodammodo communicent suas proprias perfectiones & virtutes; voluntas intellectui virtutem movendi quoad exercitium (propter quod intellectus ita de facto

10. movet potentias externas suo imperio) & intel- A
lectus voluntati potentiam movendi & determi-
nandi quoad specificationem.

13. Instabis tamen: Ideo ex solutione data, ad spe-
ciem actus fidei requiritur pia motio sive affectio
voluntatis, quia cum objectum fidei, ratione suae
obscuritatis, sit ex se insufficiente ad determinan-
dum intellectum circa assensum potius quam dis-
sensum, debet voluntas talem insufficientiam ob-
jecti supplere per piam affectionem: Sed non
potest voluntas per piam motionem, seu affectio-
nem, talem insufficientiam supplere: Ergo nec
determinare intellectum ad speciem actus cre-
dendi. Minor probatur: Insufficientia veritatis
objecti ad movendum intellectum, & ipsum de-
terminandum in actu fidei, est insufficientia evi-
dentiae, quandoquidem ex dictis ideo objectum
illud dicitur insufficiente ad talem motionem &
determinationem, quia non est evidens: Atqui
voluntas non potest per suam motionem supple-
re in objecto fidei defectum evidentiae, non enim
reddit ipsum evidens, sed relinquit obscurum:
Ergo &c.

14. Respondeo negando Minorem, ad cujus pro-
bationem, concessa Majori, dico ad Minorem,
voluntatem non ideo dici per piam motionem
supplere defectum evidentiae objecti, quod red-
dat illud evidens, sed quia facit illud quod praes-
tat evidentia objecti, si adesset, nempe determi-
nationem intellectus ad credendum, potius quam
ad discredendum. Quomodo autem ita determi-
net intellectum voluntas, si queras, dico intan-
tum id ab ea praestari, inquantum reddit intel-
lectum complacentem, sive pie affectum, sicuti
ipsamet est complacens & pie affecta, circa my-
steria fidei proposita; talis enim complacentia &
affectio est veluti pondus, quo non necessitata,
sed liberè determinata, impellit & determinat in-
tellectum ad consensum potius quam ad dissen-
sum.

15. Ex dictis inferes, quod cum nihil sit volitum,
quin praecognitum, & ad omnem actum volun-
tatis praerequiratur aliquis actus ex parte intel-
lectus, necessarius est aliquis actus intellectus, quo
regulatur proximè pia motio, seu affectio volun-
tatis, nimirum iudicium practicum, quo conve-
nientia & honestas objecti credendi voluntati re-
praesentetur, & ipsa efficaciter moveatur ad vo-
lendum credere. Et tale iudicium practicum est
in sua substantia supernaturale, sicut ipsa pia mo-
tio & affectio voluntatis quam regulat: unde ad
utrumque actum eliciendum aliquod auxilium
entitativè supernaturale requiritur, ut ostendi-
mus in Tractatu de Gratia.

ARTICULVS II.

*Utrum ad piam motionem voluntatis, in-
tellectum ad credendum determinantis, re-
quiratur virtus vel habitus specialis, à
fide distinctus?*

16. Affirmant Suarez, Valentia, Molina, &
alii Recentiores; negant communiter Dis-
cipuli D. Thomae, excepto Joanne à S. Thoma,
qui concedit quidem ad piam motionem, subin-
deque ad actum fidei, non praerequiri virtutem,
quae sit directè & per se moralis, asserit tamen
necessariam esse ad eliciendum talem actum ali-

Tom. IV.

quam qualitatem habitualement in voluntate, re-
ductivè pertinentem ad fidem, quatenus est quæ-
dam inchoatio ipsius, & participium. Pro reso-
lutione

17. Dico: Ad eliciendam piam motionem volunta-
tis, quæ intellectus determinatur ad credendum,
non praerequiratur virtus, vel qualitas habitua-
lis, sed auxilium actuale sufficit.

18. Probatur breviter: Actus pie affectionis est
imperfectus in sua specie, quia non est ultimus
in illa, sed comparatur per modum viæ & ten-
dentiae ad actum fidei: Ergo ad illum eliciendum
non requiritur aliquis habitus virtutis, sed suffi-
cit auxilium actuale. Antecedens constat, Con-
sequentia verò probatur. Habitus virtutis non
ponitur nisi ad actus perfectos & ultimos, qui
proximè tendunt circa sua objecta: Ergo si actus
pie affectionis se habeat ut imperfectus & via-
lis, non debet assignari aliquis habitus virtu-
tis ad ipsum eliciendum, sed auxilium actuale
sufficit.

19. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio:
Actus pie affectionis ex propria sua ratione præ-
cedit actum fidei, tanquam dispositio seu inchoa-
tio illius, ut docet D. Thomas quæst. 14. de ve-
rit. art. 2. ad 10. Atqui virtus specialis non consti-
tuitur ad actum qui se habet per modum dispo-
sitionis, seu inchoationis alterius actus perfecti:
Ergo ad piam motionem non debet poni ha-
bitus specialis, etiam imperfectus, sed sufficit
habitus fidei, cum auxilio speciali ex parte vo-
luntatis.

20. Addo quod non potest talis habitus specialis ha-
bere ordinem ad quem reducatur: Ergo non da-
tur. Probatur Antecedens, quia vel ad habitus
Theologicos, vel ad morales reduci deberet: Sed
ad neutrum horum habituum ordinem reduci po-
test: Ergo ad nullum. Minor quoad primam par-
tem, quod scilicet talis habitus non possit reduci
ad habitus Theologicos, constat, quia non attingit
immediatè Deum. Quoad secundam probatur:
Nam si esset habitus moralis, vel esset virtus per
se infusa & supernaturalis, vel naturalis & acqui-
sita? Non potest autem dici naturalis, quia actus
pie affectionis, sive volitionis credendi, cum sit
causa actus fidei, est, sicut ille, supernaturalis, ac
proinde non potest habere pro principio, à quo
elicitivè procedat, virtutem naturalem acquisi-
tam: non potest etiam talis virtus dici supernatu-
ralis & per se infusa, quia omnis virtus moralis
per se infusa supponit prudentiam infusam, tan-
quam suam regulam, & ista charitatem, utpote
cum absque charitate deficiat debita habitudo ad
ultimum finem supernaturalem, subindeque ra-
tio prudentiae supernaturalis, ut ostendit D. Tho-
mas 1.2. qu. 65. art. 4. ad 1. Actus autem voluntatis
determinans intellectum ad credendum, non sup-
ponit necessariò charitatem, quandoquidem po-
test, sicut actus fidei, esse in homine gratià habi-
tuali destituto, & in peccato mortali existente:
Ergo &c.

21. Obijcies primò: D. Thomas infra quæst. 4. art.
2. in corp. sic habet: Oportet quod tam in voluntate
sit aliquis habitus: quam in intellectu, si debeat
actus fidei esse perfectus: Sed non debet poni in
voluntate aliquis habitus, nisi ratione pie affe-
ctionis, ad actum fidei requisitus: Ergo ad eam eli-
ciendam aliquis habitus in voluntate requiritur.

Respondetur cum Caietano, aliisque D. Tho-
mae Discipulis, S. Doctorem loqui de actu fidei
perfecto, non solum perfectione essentiali, quam

P p iij

habet etiam ille qui non informatur charitate, sed etiam perfectione accidentali, per quam constituitur in ratione virtutis simpliciter dictæ, sive meritorie, qualis est duntaxat actus fidei charitate divinâ informatæ: ex quo solum sequitur ad piam motionem, ex imperio charitatis procedentem, requiri habitum in voluntate, nimirum ipsam charitatem; quod non negamus. Sed cum hoc fiat, quod si tam actus fidei, quam pia motio, præcisè quoad perfectionem ipsis essentialem considerentur, qualiter considerantur actus elicti ab homine peccatore, habitu charitatis destituto, nullus ad eos in voluntate præquiratur habitus, sed auxilium actuale sufficiat.

22. Objicies secundo: Ad eliciendum actum fidei ponitur in intellectu habitus fidei: Ergo ad eliciendam piam motionem, ponendus est alius habitus in voluntate. Consequentia probatur: Ideo ponitur habitus fidei in intellectu, & non tantum auxilium actuale, quia actus fidei non semel atque iterum, sed frequenter & connaturaliter à nobis elici debet: Atqui similiter pia affectio connaturaliter & frequenter à nobis elicienda est, toties nimirum, quoties eliciendus est actus fidei: Ergo, &c.

23. Respondeo negando consequentiam, & paritatem. Ad cujus probationem, nego Majorem: Ratio enim ob quam requiritur habitus fidei in intellectu, non est quia actus ille connaturaliter & frequenter est eliciendus, sed quia est actus in sua specie perfectus & ultimus: unde cum hoc non reperiatur in pia motione, sed hæc sit actus imperfectus, & per modum viæ ac inchoationis ad actum fidei, non requiritur sicut ad illum habitus, sed sufficit auxilium actuale; quamvis ex eo quod talis motio frequenter elici debeat à voluntate, & connaturaliter, debeat illud auxilium frequenter dari, & esse connaturaliter debitum ipsi habitui fidei.

ARTICVLVS III.

Utrum actus internus fidei sit necessarius ad salutem, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

24. SUppono primò, salutem hominis duplicem à Theologis distingui, primam videlicet & secundam. Primam salutem hominis vocant ejus justificationem, quomodo nomen salutis accipitur ad Ephes. 2. dum dicitur, *Gratiâ estis salvati per fidem*, & ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Ultimam salutem appellant beatitudinem nostram supernaturalem: in qua significatione accipitur nomen salutis Marci ultimo, dum dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*.

25. Suppono secundo, duplicem esse necessitatem, unam præcepti, alteram medij. Prior est debitum & obligatio proveniens ex præcepto per se: posterior verò est ejus sine quo aliquid obtineri nequit, sive id sit ex natura ipsarum rerum, quæ sunt ita connexæ (quomodo alimentum est medium necessarium ad conservandam vitam animalis) sive ex institutione causæ alicujus

A jus dominantis, quæ voluit & ordinavit ut unum sine altero obtineri nequeat.

Inter ea autem quæ sunt necessaria necessitate medij, & ea quæ sunt necessaria necessitate præcepti tantum, hoc reperitur discrimen, quod ea quæ sunt necessaria necessitate medij in ordine ad aliud, debent indispensabiliter poni in re, saltem secundum viam & potentiam ordinariam, ad hoc ut aliud acquiratur: ea autem quæ sunt tantum necessaria necessitate præcepti in ordine ad aliud, non est semper necesse quod ponantur in re, ad hoc ut aliud acquiratur, sed sufficit quod sint in præparatione animi, & quod ponantur in re, datâ occasione in qua præceptum obligat. Item necessitas præcepti non viget, nisi præceptum cognoscatur ab eo qui parere tenetur: at verò medium, sive ignoretur, sive non, est necessarium, & sine illo non potest finis obtineri.

Suppono tertio, duplicem esse medij necessitatem: unam simplicem & absolutam, quando medium tale est, ut sine ipso in re habito finis non possit obtineri: aliam secundum quid, quando sufficit in re vel in voto. Priori modo gratia sanctificans est necessaria ad salutem, quia sine ipsa, habita in re, salus obtineri nequit: posteriori verò baptismus, aut sacramentum penitentia, sine quibus contritio, cum sacramenti voto, potest sufficere ad salutem, & sacramenti defectum supplere. Querimus ergo in præsentia, an actus fidei sit necessarius ad salutem, tam primam quam secundam, id est ad justificationem, & beatitudinem, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij, idque simpliciter & absolute, ita ut sine ipso in re habito homo nec justificari, nec salutem æternam obtinere possit?

Partem negantem tenet Andreas Vega, lib. 6. in Trid. cap. 17. & 20. ubi docet primò, si quis invincibiliter Deum ignoraret (quod tamen, inquit, nunquam contingit, sed nec potest contingere) posse nihilominus hujusmodi hominem salvari, si legem naturæ ad amissum observet, & si quando contra eam peccaverit, de facto doleat. Secundò docet, naturalem cognitionem, quam de Deo per creaturas assequi possumus, ad salutem sine fide & cognitione supernaturali sufficere. Ne tamen ejus sententia Pelagiana appareat, addit talem hominem non fore justificandum sine gratia Christi: quia quando talem habet de Deo cognitionem, datur ejus voluntati auxilium necessarium, ut actum charitatis & amoris Dei super omnia eliciat, qui actus in voto & implicite fidem continet: nam tunc in se ita affectus est talis homo, ut si sciret esse credendum propter divinam auctoritatem, incunctanter crederet. Eandem sententiam tenuit Sorus lib. 2. de natura & gratia cap. 11. sed eam postea in quarto sententiarum sub finem retractavit; & merito, cum hæc opinio errorem aperte sapiat, & Scripturæ, Concilij, & SS. Patribus repugnare videatur, ut patebit ex dicendis assertionem sequenti.

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, actum internum fidei supernaturalis esse omnibus adultis simpliciter necessarium, necessitate medij, ad salutem, ita ut sine illo in re habito justificari & salvari non possint, secundum legem ordinariam.

Probatur primò conclusio ex Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus. In primis ad Hebræos 11. dicitur: *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: loquitur autem Apostolus de fide actuali, sive de actu fidei, ut indicat *ly accedentem*, quod significat actum tendentem: loquitur etiam de fide supernaturali, scilicet de illa quam definierat in principio dicens: *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium*. Item ad Galat. 3. & ad Ephes. 2. & passim alibi, justificatio attribuitur fidei, quasi fundamento & radici. Imò Habacuc 2. dicitur quod iustus ex fide vivit. Quæ omnia loca, & plura alia, quæ possent adduci, manifestè declarant, actum internum fidei supernaturalis esse ad justificationem & salutem necessarium, necessitate medij.

Idem colligitur ex Conciliis, præsertim ex Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi ait quod causa instrumentalis nostræ justificationis est sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio. Et cap. 8. dicit quod fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. Et can. 3. sic definit: *Si quis dixerit sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Si autem fides est initium, fundamentum, & radix salutis aut justificationis, est necessaria per modum medij, ac proinde necessitate medij ad salutem consequendam.

Favet etiam SS. Patres, præcipuè Augustinus, serm. 38. de Tempore, ubi hæc scribit: *Fides est humana salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire: quia sine ipsa, nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam*.

Respondet Vega, hæc testimonia probare quidem fidem esse ad salutem necessariam, sed vel in re, vel in voto: hominem autem qui legem naturalem perfectè servaret, Deumque invincibiliter ignoraret, habere fidem in voto; si enim illi Evangelium debite annuntiaretur, statim re ipsa crederet.

Sed contra: Licet interdum ad salutem & justificationem sufficiat baptismus in voto, quando scilicet quis fidem habet, cujus beneficio credit baptismum esse necessarium, & subest aliquod impedimentum, ratione cujus eum non potest suscipere; in fide tamen non est eadem ratio, cum enim illa sit primum salutis fundamentum, nihil est prorsus in quo votum & desiderium fidei fundari possit; non enim fundabitur in cognitione naturali, cum ipsa nullam cum fide connexionem aut relationem habeat: Igitur perperam asseritur, eum hominem, qui solam cognitionem naturalem haberet, fidem supernaturalem in voto & desiderio habiturum.

Dices: non haberet quidem fidem in voto explicite, sed implicito.

Co. tra: Cum istud votum, saltem ratione objecti, sit quid supernaturale (objectum quippe ejus est fides ipsa supernaturalis) necessariò debet fundari, etiam si implicitè sumatur, in re aliqua, quæ sit ejusdem ordinis cum illo, nempe supernaturalis: At supponit Vega hominem de quo loquitur, omni prorsus cognitione supernaturali carere: Ergo non potest dici eum fidem super-

naturalem in voto etiam implicito habere.

Addo quòd, si fides in voto sufficiat ad salutem, multò magis charitas: facilius enim ipsa potest haberi in voto, quàm fides, cum antecedatur à fide & spe, nec non ab inchoata quadam dilectione & propensione erga Deum, in quibus tanquam in semine latet & continetur: Sed absurdum est, & Scripturis apertissimè repugnans, aliquem sine vera & absoluta charitate posse salvari: Ergo fides in voto non sufficit ad salutem.

Probatur secundo conclusio ratione D. Thomæ hic art. 3. in qua valde laborat Cajetanus, sic tamen breviter potest proponi. Perfectio & salus rationalis creaturæ consistit in eo quod ipsi tribuitur ex quadam supernaturali participatione divinæ bonitatis: Ergo ut eam consequatur, necessarium est quod ad Deum tendat, accedat, & veniat motu supernaturali, quo se in Deum convertat, & ad talem salutem disponat: Sed talis motus fieri nequit, nisi voluntatis affectus, quo in Deum tendimus, per actum fidei dirigatur, proponentem objectum ad quod debet voluntas converti; quia cum voluntas sit potentia cæca, necessariò ductum intellectus proponentis objectum præsupponit: Ergo ductus fidei supernaturalis, ad salutem hominis est necessarius, & non sufficit cognitio Dei naturalis.

Confirmatur: Media debent esse fini consentanea, cum finis in ipsis virtualiter aliquo modo contineatur: Sed finis noster est omnino supernaturalis, nempe visio beatifica: Ergo media per quæ debemus eum adipisci, debent similiter esse supernaturalia: At hæc sunt cognitio & amor: Ergo ipsa supernaturalia esse debent.

S. III.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò: Paulus ad Rom. 2. ait: *Gen- 34*
tes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: Sed ad obtinendam salutem sufficit observare præcepta naturalia, juxta illud Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; quo loco de præceptis Decalogi, quæ naturaliter cognosci possunt, loquitur: Ergo sine actu fidei infusæ & supernaturalis homo potest consequi salutem.

Confirmatur: Idem Apostolus ad Hebræos 11. explicans qui actus credendi sit necessarius ad salutem, ait: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: At hic actus non est supernaturalis, cum utraque veritas sit naturalis, & utriusque cognitio naturali lumine acquiri possit; unde Chrysostomus homil. 4. de providentia ait, veteres Philosophos agnovisse, Deum præmia bonis, malis verò supplicia post mortem præparasse: Ergo actus fidei infusæ & supernaturalis, ad salutem non est necessarius.

Confirmatur ampliùs: In lege naturæ aliqui salvabantur, abique eo quòd tenerentur amplecti legem Judaicam, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 98. art. 5. ad 3. Sed in tali lege, nullum fuit præceptum supernaturale, nec ulla cognitio Dei, nisi naturalis; ideò namque status ille dicebatur legis naturæ, quia homines solà legis naturalis cognitione ducebantur: Ergo actus fidei, saltem in tali statu, ad salutem non fuit necessarius.

Ad objectionem respondeo, varias esse hujus loci Apostoli expositiones, quarum omnes argumento abundè satisfaciunt, duas tantum hic bre-

vitatis causâ subijciam. Prima est Augustini lib. 1. de spiritu & littera, cap. 27. dicentis, hac particulâ, *naturaliter*, non excludi cognitionem supernaturalem & gratiam, quam constat nonnullos inter Gentes fuisse allectos, ut Melchisedech, Jetro, Job, & alios; sed tantum legem Mosaicam, & Evangelium excludi; ita ut sensus sit, quod Gentes quæ legem scriptam, scilicet à Moïse, aut à Christo traditam, non habent; naturaliter, id est instinctu aliquo naturæ suæ à Deo indito, ea quæ legis sunt faciunt. Neque hæc expositio tanquam repugnans textui rejicienda est: tum quia D. Thomas ibidem lect. 3. & 1. 2. quæst. 109. art. 4. ad 1. eam amplectitur: tum etiam, quia sicut peccatum dicitur contra naturam; sic etiam gratia, & supernaturalis cognitio dici potest naturalis, id est naturæ valde consentanea.

38. Secunda expositio est aliorum, qui verbum hoc, *naturaliter*, in germana sua significatione retinent, aiuntque Gentes naturaliter aliqua præcepta naturalia observasse, ut quæ sunt faciliora, v. g. honorare parentes, dare elemosynam, non furari, non mœchari; non tamen omnia, imò neque difficiliora, ut, non concupisces, Diliges Deum tuum plusquam teipsum; ad hæc enim implenda auxilium supernaturale est necessarium, ut in Tractatu de gratia ostendimus. Quod autem hæc interpretatio sit legitima, probant ex eo quod Apostolus dicat solum Gentes illas naturaliter facere ea quæ sunt legis, non verò eas totam legem, aut omnia præcepta facere & adimplere: quemadmodum infra dicit, quando de Gentibus justificatis & conversis ad Deum loquitur, eas totam legem observare, per fidem nempe & gratiam Dei.

39. Ad primam confirmationem, nego Minorem: quando enim Apostolus ait, credere oportet accedentem ad Deum, quod inquirentibus se remunerator sit, non loquitur de remuneratione temporali, sed æterna & supernaturali, ut patet ex sequentibus: *Juxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes.* Et paulo post: *Moyse grandis factus, negavit se esse filium filia Pharaonis, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; respiciebat enim in remunerationem:* ad cognoscendum verò remunerationem æternam & supernaturalem, fides infusa & supernaturalis requiritur. Unde ad Chrysostomum dicendum est, ipsum solum velle, veteres Philosophos agnovisse, Deum esse remuneratorem naturalium bonorum, aliquâ remuneratione temporali, aut saltem inferiori visioni beatificæ.

40. Ad secundam nego etiam Minorem, nempe quod in lege naturæ nullum fuisset præceptum supernaturale, nec ulla cognitio Dei, nisi naturalis: si enim hoc ita esset (inquit Bannez) sequeretur in lege naturæ, veram fuisse hæresim Pelagianam, cum in eo statu per solam naturam homines salvari potuissent; quod nemo Catholicus unquam dicit. Talis ergo status non ideo lex naturæ dicebatur, quia nullum tunc esset præceptum supernaturale, sed quod nullum tale exterius scriptum & determinatum contineret, ut rectè annotavit Soto in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ubi subdit, præceptum divinum fidei, spei, & charitatis, inspiratum fuisse Adæ, & deinceps per Patres suæ posteritatis, nempe Seth, Enoch, Noë, &c. ad alios vivâ voce derivatum: quod colligit ex D. Thoma 3. p. quæst. 70. art. 2. ad 2.

A Objicies secundò: Justinus cap. 28. Apologia Socratem salvum esse asserit, imò non dubitat eum martyrem appellare, eo quod ob eandem causam, ob quam Christiani, passus sit. Plures etiam existimant Platonem æternam obtinuisse salutem; propter quod ab Augustino, in libris de civitate, Divinus appellatur. Imò idem Justinus orat. ad Antoninum non veretur insigniores Philosophos, & quotquot è Gentibus, licet adventum Christi præcesserint, cum ratione vixerunt, Christianos appellare: Ergo ad salutem non requiritur necessariò fides.

Respondeo, si ita sit, quod insigniores illi Philosophi salvi sint, Deum illis ante mortem cognitionem supernaturalem infudisse, cujus operæ explicitè ea quæ credenda sunt crediderunt. Verum eorum salus valde incerta est, imò contrarium probabilius est, cum multis vitijs, iisque gravissimis laboraverint: Socrates enim ebriari, & iracundiæ addictus fuit: Plato verò idololatriæ favit, & feminarum usum promiscuum permittit; qua de causa à Jeronymo in Epist. ad Heliodorum *stultus* appellatur, & Bernardus Tractatu de erroribus Abailardi lib. 4. ait, quod ille dum multum sudat, quomodo Platonem faciat Christianum, se probat ethnicum. Unde uterque fortè de eorum numero est, contra quos invehitur Apostolus cap. 1. ad Romanos, & quos ait datos fuisse in reprobum sensum. Quod autem à Justino Socrates appelletur martyr, ideo est, quia ab Atheniensibus injustè fuit condemnatus, eo quod unicum Deum, & non plures in scholis passim profiteretur. Augustinus verò Platonem divinum nuncupat, quod de Deo & virtutibus multò perfectius & subtilius quam ceteri disseruerit. Demum Justinus veteres Philosophos, & quotquot è Gentibus cum ratione vixerunt, Christianos appellat, quia Christus est ratio & sapientia Patris, ut explicat Baronius initio Annalium Ecclesiasticorum.

Objicies tertio: Sicut ad Hebræos 11. dicitur: *sine fide impossibile est placere Deo*, sic etiam Joan. 3. scribitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: Sed hoc non obstante, Theologi docent posse aliquem adultum salvari sine baptismo in re suscepto; quando scilicet ejus copiam aut notitiâ caret: Ergo similiter sine actu fidei supernaturali salvari poterit.

Respondeo non esse eandem rationem de baptismo, & actu fidei: nam baptismus suppleri potest voto, quod virtualiter continetur in actu fidei: actus verò fidei supernaturalis, cum non contineatur virtualiter in cognitione naturali, utpote multò inferiori & imperfectiori, si non adsit in re, nullâ viâ suppleri potest, ut supra explicatum est.

Objicies quartò: Homo educatus in sylvis, vel apud barbaras nationes, qui nihil unquam audivit, vel audire potuit de rebus fidei, & qui proinde est infidelis negativè, si sequatur ductum rationis in prosecutione boni honesti, & fuga mali, justificabitur & salvabitur, ut docet S. Thomas quæst. 14. de verit. art. 11. ad 1. Ergo in aliquo casu ad neutram salutem actus fidei necessarius est.

Respondeo ex eodem S. Doctore citato, certissime tenendum esse, quod Deus vel internâ inspiratione, vel ministerio alicujus prædicatoris, talem hominem illuminabit de mysterijs fidei, quæ ad justificationem & salutem necessariò credenda

eredenda sunt: illudque de facto præstitit tum A
Eunuchus Regine Candace, Actuum 8. ad quem
missus est Philippus; tum Cornelio, ad quem
missus est D. Petrus Actuum 10. sicut & cap. 16.
Paulus ad quosdam in Macedonia. Imò Diony-
sius cap. 9. de cælesti Hierarchia refert multos
Gentilium, Angelorum ministerio, qui eis my-
steria fidei revelarunt, salutem fuisse assecutos.
Videri etiam potest Thaulerus in institutionibus,
ubi aliquid simile refert de aliquo infideli, qui
præ multitudine religionum ignorabat quam am-
plecti deberet.

47. Instat Vega: Quilibet adultus potest, secun-
dum legem ordinariam, sine miraculo justificari,
& salvari: Sed hic modus instructionis, quem po-
nit D. Thomas, non potest fieri sine miraculo,
ut manifestum videtur: Ergo ad illum non debe-
mus recurrere, sed dicere quod homo, saltem in
aliquo casu extraordinario, potest sine fide iusti-
ficari.

48. Respondeo concessa Majori, negando Mino-
rem: talis enim modus instructionis, licet sit ra-
rus & extraordinarius, non tamen est propriè mi-
raculosus, quia illum petit in similibus casibus
lex ipsa ordinaria & connaturalis statui gratiæ,
quæ sicut debet connaturaliter supponere ex par-
te voluntatis aliquem actum supernaturalem, qui
sit dispositio ad justificationem, ita & ex parte in-
tellectus cognitione aliquâ supernaturalem, quæ
actum illum voluntatis dirigat, necessitatio prære-
quirit: ordo etiam gratiæ connaturaliter exigit,
ut dentur auxilia, saltem sufficientia, non ponen-
tibus obicem, quando urget obligatio alicujus
præcepti supernaturalis; alias Deus obligaret ad
impossibile, quod infinitæ ejus bonitati, & cle-
mentie omnino repugnat.

ARTICVLVS IV.

*Utrum ante adventum Christi necessaria
fuerit ad salutem, necessitate mediæ, fides
explicita Incarnationis, seu Redemptoris
futuri?*

49. Certum est in lege naturæ, & in lege scripta,
fidem saltem implicitam in Christum fuisse
simpliciter & absolute necessariam, necessitate
mediæ ad salutem: quia fides explicita Dei, ut au-
thoris supernaturalis, subindeque ut collatoris
gratiæ, & remuneratoris supernaturalis, semper
& absolute fuit homini necessaria necessitate me-
diæ ad salutem, ut patet ex dictis articulo præce-
denti; in tali autem fide continetur, implicitè sal-
tem, post lapsum Adami, fides in Christum, tan-
quam unum ex medijs ad salutem hominis à Deo
præordinatis. Unde solum difficultas est, an
etiam fides explicita Incarnationis, seu Redem-
ptoris futuri, fuerit tunc necessaria ad salutem,
necessitate mediæ; ita ut nullus omnino in eo sta-
tu fuerit justificatus, & salvatus, nisi talem fidem
& cognitionem explicitam prius habuerit? Affir-
mant aliqui, quos suppresso nomine refert Ban-
nez hic artic. 8. & quos ex recentioribus Thomi-
stis secutus est Philippus à S. Trinitate, disp. 4.
art. 4. Sed opinio negans communis est, non so-
lum apud Thomistas, sed etiam apud extraneos.
Unde sit

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur: Ante Christi adventum, seu in
lege naturæ, & in lege scripta, fides expli-
cita Christi, seu Redemptoris & Mediatoris ven-
turi, non fuit necessaria necessitate mediæ ad salu-
tem, sed satis erat tunc credere, Deum per suam
providentiam velle homines à peccatis liberare,
illisque de rebus ad salutem æternam necessarijs
providere. Ita ex antiquis Theologis expressè
docet D. Anroninus 4. p. Theologici tit. 8. cap.
3. §. 9. ubi hæc scribit: *In veteri testamento apud
omnes nationes sufficiebat credere illa duo, quæ po-
nit Apostolus ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum
oportet credere quia est, & quod inquirentibus se
est remunerator. Minores ergo credentes illa duo
expressè, credebant implicitè omnes articulos fidei,
& hoc sufficiebat eis, ut scilicet salventur.*

Idem asserit S. Thomas hic art. 7. ad 3. ubi
de Gentibus ait: *Si qui salvati fuerunt, qui-
bus revelatio non fuit facta, non fuerunt salva-
ti absque fide mediatoris: quia eisi non habue-
runt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem im-
plicitam in divina providentia, credentes Deum
esse liberatorem hominum, secundum modos sibi
placitos. Et artic. 8. ad 1. ait: illa duo explicitè
credere de Deo (nempe Deum esse, & habere
providentiam supernaturalem de hominum salu-
te) omni tempore, & quoad omnes, necessarium
fuit, non tamen est sufficiens omni tempore, &
quoad omnes. Quibus verbis insinuat, saltem ali-
quo tempore, nempe ante adventum Christi, &
quoad aliquos, nimirum quoad eos qui fidem ex-
plicitam mediatoris tunc habere non poterant,
fuisse sufficiens ad salutem, credere Deum esse, &
habere providentiam supernaturalem de salute
hominum. Item in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 2.
quæstiunc. 2. ad 3. expressè docet, quod illi qui-
bus non erat facta revelatio de Christo venturo,
Salvabantur fide implicita Redemptoris, impli-
cando fidem suam in cognitione Dei.*

Ex his deduci potest ratio fundamentalis no-
stræ conclusionis: Illud enim non est necessarium
necessitate mediæ ad salutem, sine quo salus ob-
tineri potest: At plures homines ante adventum
Christi, seu in lege naturæ, & in lege gratiæ, po-
terant salutem assequi, absque fide explicita in
Christum, etiam sub nomine Redemptoris præ-
cisè, venturum: Ergo talis fides non erat tunc ne-
cessaria necessitate mediæ ad salutem. Major pa-
ter: Minor probatur. Quamvis in lege naturæ, &
in lege scripta, aliqui habuerint fidem explicitam
in Christum ut mediatorem, major tamen pars
hominum, sub illis legibus viventium, implicitè
solum adventum Christi ut Redemptoris credi-
dit, ut docet expressè D. Thomas locis citatis, &
hic art. 7. ubi loquens de hominibus fidelibus,
ante legem scriptam, & sub lege scripta, sacrificia
offerentibus, dicit quod licet majores explicitè
cognoscerent significatum illorum sacrificiorum,
nempe mortem Christi, minores tamen, sive ru-
diores, qui haud dabie erant in majori numero
quàm majores, sub velamine illorum sacrificio-
rum, velatam habebant de Christo venturo cog-
nitionem; & tamen cum illa cognitione velata, sive
implicita, certum est quod poterant salvari: alio-
quin enim, ut optime arguit idem S. Doctor in
3. dist. 25. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corp.
carentes fide implicita in Christum, destituti

fuisse medio simpliciter necessario ad suam salutem, quod tamen de tanta hominum multitudine non est credibile: Ergo &c.

52. Confirmatur ex D. Chrysostomo homil. 37. in Matth. ubi ait multos ex Gentilibus salvos fuisse, sine fide explicita in Christum. Idem docet Clemens Alexandrinus lib. 5. & 6. Stromatum, Eusebius lib. 1. de preparatione Evangelica cap. 3. Irenaeus lib. 2. contra haereses, Augustinus lib. 19. contra Faustum, & alij ex SS. PP.

53. Probatur secundò conclusio: Duobus solùm modis potest aliquid dici necessarium ad salutem necessitate mediij, videlicet vel ex natura rei, vel ex decreto seu institutione divina, juxta dicta art. præcedenti in secunda suppositione: Sed neutro modo fides explicita in Christum ut redemptorem necessaria fuit ad salutem in lege scripta, vel in lege naturæ: Ergo nullo modo. Probatur Minor: & primò quod non ex natura rei, patet, quia sola cognitio & fides explicita unius Dei, ut authoris & remuneratoris supernaturalis, sufficiebat ad excitandum actum dilectionis Dei, & perseverandum in illo usque ad finem vitæ. Quòd verò neque ex institutione Dei, probatur: Tum quia nec ex Scriptura, nec ex traditione constat de illa: Tum etiam, quia si hujusmodi fides tunc fuisset ex institutione Dei ad salutem necessaria, eam curasset Deus ubique terrarum prædicari, cum in rebus necessarijs ad salutem nullo modo defuit; quod tamen non ita factum est, nam tunc veri Dei cognitio vix ultra Judæam se extendebat, juxta illud Psalmi 75. *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*: Ergo &c.

54. Probatur tertio: Fides explicita in Christum, ut Redemptorem, supponit necessariò, ut constat, fidem & cognitionem explicitam de peccato originali, sive de communi lapsu generis humani: Sed neque in lege naturæ, neque in lege scripta, necessaria fuit necessitate mediij fides, sive cognitio explicita peccati originalis; tale siquidem peccatum non continetur in antiqua scriptura, nisi valde implicite & obscure, neque habemus fundamentum asserendi, quod de illo aliqua traditio explicita tunc existeret, quæ esset communis: Ergo neque in lege naturæ, neque in lege scripta, necessaria fuit, necessitate mediij, fides sive cognitio explicita Christi ut Redemptoris. Imò non est certum, tunc communem populum Judæorum cognovisse Messiam venturum ut Redemptorem animarum, sed duntaxat ut Regem & liberatorem temporalem; cum ipse etiam Nicodemus, quamvis esset Magister in Israël, ignoraret tamen, ut ex Evangelio constat, Christum esse Deum.

55. Advertendum tamen est, nos loqui de statu hujus vitæ, quia credibile est justos omnes, qui ante adventum Christi decesserunt, explicitam Incarnationis fidem habuisse in Lymbo: hanc enim à Patribus, ut Abraham, Moyse, Joanne Baptista, Lazaro, & similibus acceperunt. Unde nos hic de statu hujus vitæ agimus, & contendimus non fuisse necessarium ad salutem illis qui ante Christi adventum vixerunt, durante eorum vita, mysterium Incarnationis, seu Christum ut Redemptorem & Mediatorem explicitè cognoscere, sed explicitam providentiæ Dei supernaturalis fidem, in qua implicite fides Redemptoris, seu Mediatoris continetur, fuisse sufficientem ad eorum salutem.

§. III.

Solvuntur objectiones Patris Philippi.

Objicit in primis P. Philippus quædam Scripturæ testimonia, quibus asseritur neminem salvari, vel fuisse unquam salvatum, nisi per Christum, & merita ipsius: 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*. 2. ad Timoth. 1. *Gratia data nobis est in Christo ante tempora secularia*. Actuum 4. *Non est in aliquo alio salus, neque enim est aliud quod aliud nomen sub Cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et Apocal. 13. Christus dicitur Agnus, qui occisus est ab origine mundi.

Respondeo hæc, & similia testimonia, non militare contra nostram sententiam: in illis enim non expresse dicitur omnes homines salvari, & fuisse salvatos per fidem Christi, sed tantum per Christum, & sanguinem, seu merita ipsius; factum autem nulli unquam gratiam & salutem fuisse concessam, nisi per Christum; cum sit causa salutis & justitiæ universalissima, in genere causæ meritoria: negamus tamen salutem hanc & justificationem nonnisi per fidem explicitam illius, in ratione Mediatoris, fuisse communicatam, & dicimus eam potuisse communicari per fidem explicitam providentiæ Dei supernaturalis, in qua implicite fides ipsius Mediatoris continetur.

Dices: Fides Mediatoris remotissime tantum in fide providentiæ continetur: Ergo fides providentiæ supernaturalis non sufficiebat, ut homines qui sub lege naturæ, & sub lege scripta vivebant, Christo incorporarentur, & ab eo ut capite influxum gratiæ & salutis reciperent.

Respondeo negando Antecedens: nam satis proximè in fide providentiæ supernaturalis continetur fides Mediatoris: per hanc enim credimus Deum velle hominibus succurrere, eos à peccatis liberare, & gratiæ restituere, quæ sunt mera ipsius Mediatoris munia, & officia: quò sit ut homines, sub lege naturæ, & sub lege scripta viventes, Christo sufficienter unirentur & incorporarentur, divinam hanc providentiam actualiter & expresse credendo.

Objicit secundò: D. Augustinus Epist. 10. & lib. 18. de civitate Dei, cap. 47. dicit *Nemi ante adventum Christi concessum fuisse quod esset justus, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum homo Christus*. Item D. Thomas hic art. 7. ait omni tempore oportuisse credi aliquo modo explicitè mysterium Incarnationis: Ergo falsum est, quod fides explicita de tali mysterio non fuerit necessaria necessitate mediij, tempore legis naturæ, & legis scriptæ.

Ad locum D. Augustini respondent aliqui S. Doctorem in eo hyperbolicè locutum fuisse, ut gratiam Christi abundantius commendaret adversus Pelagianos. Verum (ut rectè observat P. Philippus) si hæc responsio admittatur, dabitur occasio sic interpretandi in alijs S. Augustinum, & ita nihil certi in ejus doctrina habebitur.

Respondent secundò alij, D. Augustinum non loqui de justificatione, quæ est salus inchoata, sed de illa quæ est salus perfecta & consummata; qualis est duntaxat beatitudo, quam nullus unquam absque fide Mediatoris explicita est affecturus, quia eam saltem in Lymbo habuit, ut

suprà annotavimus : cum quo stat aliquos non habuisse in vita præfenti talem fidem ; proindeque eis non fuisse necessariam , ut mererentur suam beatitudinem. Sed

ARTICVLVS V.

Utrum post Christi adventum , & legis Evangelicæ promulgationem , fides explicita Incarnationis , & Trinitatis , sit necessaria ad salutem , necessitate mediij ?

NEgant ex Thomistis Soto , Javellus , & Serra , & ex extraneis Suarez , Delugo , Martinonus , & alij. Affirmant Joannes à S. Thoma , Philippus à S. Trinitate , Valentia , Molina , Du Vallius , & Coninckus. Canus verò relectione de Sacramentis in communi , & Bahnez hic art. 8. duplicem distinguunt salutem , unam inchoatam & imperfectam , quæ in justificatione à peccatis sita est ; alteram perfectam & completam , quæ in æterna beatitudine consistit ; & dicunt ad primam quidem sufficere fidem implicitam mysterij Trinitatis , & Incarnationis , sed ad secundam necessario necessitate mediij requiri fidem explicitam utriusque mysterij.

§. I.

Vera sententia statuitur.

Dico tamen : post sufficientem legis Evangelicæ promulgationem , fides explicita mysterij Incarnationis , & Trinitatis , necessaria est necessitate mediij ad utramque salutem , id est ad justificationem , & ad æternam beatitudinem.

Ut facilius intelligatur hæc assertio , duo distinguenda sunt tempora , unum quod intercessit inter mortem Christi , & sufficientem Evangelicæ promulgationem ; aliud verò , in quo lex Evangelica sufficienter fuit per totum orbem promulgata. In priori tempore , non fuit necessaria fides explicita Incarnationis & Trinitatis , saltem necessitate mediij : tunc enim qui nihil de Christo audiverant , neque audire potuerant , in eodem statu erant , ac qui ante adventum Christi vivebant ; quia etsi lex Evangelica jam esset à legislatore condita & confirmata , nihilominus defectu sufficientis promulgationis ubique terrarum adhuc non obligabat , vel saltem , quod præcipue intendimus , lex illa non erat adhuc medium ad salutem omnino necessarium. Igitur quemadmodum illis , qui ante adventum Christi vivebant , fides divinæ providentiæ supernaturalis , quæ Deus genus humanum à miserijs & peccatis liberare volebat , satis erat ad justificationem & salutem , ut articulo præcedenti ostendimus : sic etiam in illa temporis intercapedine , quæ inter mortem Christi , & sufficientem Evangelicæ promulgationem intercessit , fides explicita Incarnationis & Trinitatis non fuit in ratione mediij ad salutem omnibus hominibus necessaria. Unde in hac conclusione loquimur solum de tempore illo , in quo lex Evangelica sufficienter per totum orbem promulgata fuit. Hoc præmissis.

Probatur primò conclusio ex Scriptura Sacra : nam Marci ultimo fides Evangelica , quæ sine dubio fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis includit , ad salutem ante omnia alia exigitur : *Prædicate Evangelium omni creature : qui crediderit , & baptizatus fuerit , salvus erit : qui vero non crediderit , condemnabitur.* Quæ

Qq ij

verba expendens D. Bernardus Epist. 77. subdit: *Cautè igitur & vigilanter non repetivit: Qui verò baptizatus non fuerit, sed tantum, qui verò non crediderit, condemnabitur; innuens solam interdum sufficere fidem ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* Quibus verbis aperte declarat, fidem Evangelij (quæ ut diximus cognitionem explicitam Incarnationis & Trinitatis includit) esse magis necessariam, quàm baptismum, & nullo modo supplebilem, subindeque esse medium omnino necessarium ad salutem. Unde Ioan. 3. dicitur: *Qui non credit in eum, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei, id est, quia non accepit fidem Christi, quæ in nova lege est certissimum, & unicum salutis remedium; sicut in antiqua Israelitæ, a serpentibus læsi, aliter sanari non poterant, quàm aspectu serpentis anei, quem Moyses iussu Dei crexerat in deserto.*

69. Probatur secundò conclusio ex Tridentino, sess. 6. cap. 6. ubi loquens de dispositione ad justificationem, & de ijs quæ ad illam obtinendam debent credi, ait: *Libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinius revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Ubi ponderandum est ly *in primis*: nam si hoc credere de redemptione in Christo Domino, est in primis necessarium, nihil est magis necessarium, quàm illud: Ergo fides explicita de Christo, in statu novæ legis, inter prima credibilia ad salutem necessaria numeratur, subindeque ad justificationem, & beatitudinem consequendam, necessitate medijs necessaria est. Unde idem Concilium ibidem cap. 8. ait hominem justificari gratis per fidem hanc, de qua loquitur Apostolus ad Roman. 3. cùm ait: *Quem proposuit Deus propitiatorem pro peccatis per fidem in sanguine ipsius, quæ utique est fides explicita Christi ut Redemptoris: subditque talem fidem esse humanæ salutis initium, fundamentum, ac radicem omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: unde cùm radix plantæ, & fundamentum ædificio, necessitate medijs necessaria sint, ita ut absque radice nec illa vivere possit, neque istud absque fundamento subsistere; sic nec aliquis vita supernaturali gratiæ vivere, nec in vitam æternam ædificari potest, absque fide in Christum mediatorem; quæ idcirco ab Apostolo substantia, id est basis, seu fundamentum, Græcè *ὑποστάσις* rerum sperandarum, definitur.*

70. Probatur tertio ex SS. Patribus, qui aperte favent nostræ sententiæ: Augustinus enim in libro de corrept. & gratia, cap. 7. sic ait: *A damnatione se non liberabunt, qui dicere poterunt, se non quidvisse Evangelium.* Et infra: *Quicumque ab illa generali damnatione ista divina gratia largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur Evangelium audiendum, & cùm audiunt, credunt.* Ubi aperte supponit fidem Evangelicam, atque adeò explicitam Incarnationis & Trinitatis cognitionem, esse prorsus ad salutem necessariam. Item in libro de spiritu & littera cap. 29. hæc scribit: *Fide Jesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe.* Similiter Hieronymus in cap. 1. ad Ephes. dicit: *Non ante filij esse possumus, quàm filij ejus Jesu Christi fidem & intelligentiam recipiamus.* Et in cap. 3. ait: *Fiducia, atque accessus ad Deum principium & origo,*

A *fides in Christum est.* Denique Hugo Victorinus lib. 1. de sacramento parte 10. cap. 5. asserit peractâ redemptione non minùs esse necessarium, credere in Deum redemptorem, quàm ab initio, peractâ creatione, necesse fuit credere in Deum creatorem: Sed ab initio fuit semper necessarium, necessitate medijs, credere explicitè in Deum creatorem, ut art. 3. ostendimus: Ergo nunc in lege nova, peractâ Incarnatione, eadem necessitate, ad salutem necessarium est credere in Christum redemptorem.

Probatur quartò ex D. Thoma, qui etiam manifestè docere videtur eandem sententiam. Nam in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. hæc scribit: *Post adventum Christi, quia jam mysterium redemptionis impletum est, & corporaliter, & visibiliter prædicatum, tenentur omnes ad credendum explicitè, & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa suavereretur.* Ergo sentit, hanc fidem explicitam esse necessariam necessitate medijs ad salutem; alias enim, si aliquis instructionem non haberet, sine illa posset justificari, quod S. Doctor non admittit, sed recurrit ad extraordinarium modum instruendi, qui tunc esset debitus.

Ad hæc & similia Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimonia, respondent aliqui, ijs duntaxat probari, fidem Christi explicitam esse necessariam in voto, non tamen in re: dicunt verò illam haberi in voto, quando quis ex fide unius Dei provisoris supernaturalis, charitatem & contritionem de peccatis concipit; tunc enim ita affectus est, ut si Christi Incarnationem audiret, ei inunctanter crederet.

Sed contra primò: Si ita esset, sequeretur in lege gratiæ fidem Christi non esse magis necessariam ad salutem, quàm in lege naturæ, vel in lege scriptæ; nam ut articulo præcedenti ostendimus, in his duabus legibus fides Christi eo modo sufficiebat, quatenus nempe mediator in fide divinæ providentiæ implicitè credebatur: Sed hoc dici nequit, ut patet probatione sequenti: Ergo nec illud.

D Secundò, Si in nova lege fides Christi explicita in voto sufficeret ad salutem, illa non esset magis necessaria, quàm baptismus, cùm baptismus in voto ad salutem sufficiat: Sed hoc repugnat D. Bernardo suprà relato: Ergo & illud.

Tertiò, Si in nova lege ad salutem sufficeret habere in voto fidem explicitam Incarnationis, virtualiter & implicitè contentam in fide Dei ut provisoris supernaturalis, falsum esset quod docet S. Thomas suprà relatus, nempe quod si aliquis invincibiliter ignoraret mysterium redemptionis, & nullam de illo haberet instructionem, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa hoc impediret: nam modus ille extraordinarius instructionis non esset debitus, nec ad salutem necessarius, ut patet. Unde Augustinus de prædestinatione Sanctorum, cap. 7. loquens de Cornelio, ad quem instruendum missus est Petrus, Actuum 10. si posset (inquit) sine fide Christi salvus esse, non ad eum edificandum mitteretur Petrus archidiscipulus: Ergo &c.

Demum Christus Ioan. 14. dixit: *Creditis in Deum, & in me credite.* Ubi æquiparat in nova lege fidem de seipso ut Redemptore, fidei quæ est de Deo ut Creatore, & universali Provifore: Sed hæc indubitanter, non solum in voto, sed etiam in re, requiritur ad justificationem & salutem, ut art. 3. contra Vegam ostendimus: Ergo & illa,

Unde Lovanienſes apud Tapperum art. 8. ſic dicunt: *Ante juſtificationem, ante omnia, neceſſaria eſt in adultis fides, quā credimus Chriſtum ſeſum Dei Filium nobis propitiatorem à Patre propoſitum eſſe pro peccatis noſtris, in ſanguine ipſius, ſine quā fide, nullis noſtris operibus, nullāque penitentiā, juſtificatione poteſt obtineri.*

74. Probatur quintò conclusio ratione fundamentali. In lege gratiæ, poſt ſufficientem Evangelij promulgationem, debet haberi perfectior cognitio, ſubindeque perfectior fides Chriſti Redemptoris, quā ante legem gratiæ; hoc enim exigit perfectior ſtatus legis gratiæ, in quo velamen, poſitum ſuper caput fidelium, ſublatum dicitur, juxta illud Apoſtoli ad Galatas 3. *Antequam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, conſeſi in eam fidem, quæ revelanda erat; & iſtud ad Ephel. 3. An aliis generationibus non eſt agnitionis myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt.* Sed in ſtatu legis naturæ, & legis ſcriptæ, neceſſaria fuit, neceſſitate mediæ, fides implicita Chriſti Redemptoris, ut patet ex dictis articulo præcedenti: Ergo fides explicita de Chriſto Redemptore, eſt eodem modo neceſſaria in ſtatu legis gratiæ, poſt ſufficientem Evangelij promulgationem.

75. Ex his conſtat manet ſingularis ſententia Cani & Bannis: teſtimonia enim Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, ſuprà relata, non ſolum de ſalute perfectæ, & conſummatæ, quæ eſt beatitudo, ſed etiam de imperfecta & inchoata, qualis eſt juſtificatione, loquuntur, præſertim illa quæ ex Tridentino adduximus: Ergo ad utramque ſalutem fides explicita Chriſti Redemptoris neceſſitate mediæ requiritur. Adde quod, cū homo per gratiam juſtificantem reddatur filius adoptivus, & hæres Dei, ac proinde habeat jus ad gloriam, tanquam ad hæreditatem, ipſaque gratia juſtificans Joan. 4. dicatur fons aque viſcentis in vitam æternam; abſurdum videtur aſſerere, poſſe aliqua ad juſtificationem ſufficere, quæ tamen ad æternam ſalutem non ſufficiunt. Unde vel dicendum eſt, ſi dem explicitam Incarnationis non eſſe neceſſariam neceſſitate mediæ ad obtinendam beatitudinem, quod Canus & Bannes non admittunt; vel aſſerendum, fidem implicitam hujus myſterij non ſufficere ad juſtificationem.

6. Confirmatur, & magis vis hujus rationis expenditur: Supponamus adultum adeptū juſtificationis gratiā ſtatim mori, antequam fidem explicitam Incarnationis habuerit, quæ ab illis Authoribus, an ille æternam beatitudinem confequatur, vel non? Si primum dicant, ſequitur aliquem non ſolum primam, ſed etiam ſecundam ſalutem, poſſe ſine explicita fide Chriſti Redemptoris obtinere; quod illi non admittunt. Si verò ſecundum aſſerant, ſequitur filium Dei adoptivum, ejuſque hæredem, ab æternæ felicitatis hæreditate excludi, & jure hæreditario, quod ad illam ratione gratiæ juſtificantis habet, fraudari; quod abſurdiſſimum eſt, & repugnat Tridentino, ſeſſ. 6. cap. 16. dicente nihil deſſe juſtificationis, quominus ſuo tempore, ſi in gratia deſceſſerint, vitam æternam confequantur.

77. Reſpondet primò Canus, impoſſibile eſſe, hominem illum juſtificatum mori, antequam fidem explicitam mediatoris acceperit.

Sed contra: Homo iſte eſt mortalis, illumque ſicut & alios omnes, infinita mortis pericula circumſtant, & ſi ſecundū curſum cauſarum naturalium, ſtatim ab adepta ſua juſtificatione mori debeat, non eſt cur Deus, propter unius privati

Tom. IV.

A hominis ſalutem, curſum illum generalem perturbare debeat; pro ſalute enim multitudinis innumerabilis parvulorum, ſine baptiſmo decedentium, eum ordinem non perturbat: Ergo multò minus pro ſalute unius id faciet, & vitam ejus diutius protrahet, ut ſinem mediatoris explicitam aſſequatur.

Reſpondet ſecundò, quod ſi moriatur homo ille ſtatim ab adepta ſua juſtificatione, continuo ut à corpore ſolveretur ejus anima, antequam beatitudine æternā perfrueretur, diſceret explicite myſterium Incarnationis.

B Sed contra: Si hoc ſufficeret, ut fides explicita Incarnationis eſſet neceſſaria ad ultimam ſalutem, neceſſitate mediæ, ſequeretur quod illa non alio modo eſſet ad ſalutem neceſſaria adultis, quā parvulis; cū etiam animæ parvulorum, poſt baptiſmā à corpore ſolventes, ſtatim explicite cognoscant myſterium Incarnationis: Sed hoc videtur abſurdum: Ergo & illud.

C Ex dictis etiam manifeſtum relinquitur, cognitionem explicitam myſterij Trinitatis eſſe in nova lege neceſſariam neceſſitate mediæ ad juſtificationem & ſalutem: nam ut diſcurrit D. Thomas hic art. 8. *Myſterium Incarnationis Chriſti explicite credi non poteſt, ſine fide Trinitatis: quia in myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur, quod Filius Dei carnem aſſumpſerit; quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit; & iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit; & ideo eodem modo quo myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicite creditum à majoribus, implicite autem & quaſi adumbratè à minoribus, ita etiam & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratiæ divulgata tenentur omnes ad explicite credendum myſterium Trinitatis, & omnes qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundum illud Matth. ultimo: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

D Confirmatur: Ut viator ad terminum perveniat, debet & locum ad quem tendit, & viam quā ad illum itur, cognoscere: Sed terminus ad quem per fidem tendimus, eſt clara viſio Dei unius & Trini, Chriſtus verò eſt via per quam ad illum itur, juxta illud: *Ego ſum via, veritas, & vita, & illud: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Ergo cognitio myſterij Trinitatis, & Incarnationis, eſt medium neceſſarium ad beatitudinem confequendam.

E Confirmatur ampliùs: Myſterium Trinitatis, & myſterium Incarnationis, ſunt principale objeſtum viſionis beatificæ in patria, juxta illud Chriſti Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Ergo & fidei in via; huic enim reſpondet ipſa viſio, juxta illud Pſalmi 47. *Sicut audivimus (hic per fidem) ſic vidimus in civitate Domini virtutum.*

Ex his intelliges, falſam eſſe & erroneam ſententiam quorundam recentiarum Caſuiſtarum, docentium abſolutionis capacem eſſe hominem, etſi neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini: ſi enim explicite utriuſque myſterij cognitio ad primam & ultimam ſalutem, id eſt, ad juſtificationem & beatitudinem, neceſſitate mediæ requiratur, manifeſtum eſt eos, qui illa myſteria penitus ignorant, non poſſe juſtificari, ſubindeque eſſe incapaces abſolutionis ſacramentalis, donec de illis ſuffi-

Qq iij

cienter instructi fuerint. Unde Academia Lovanienfis, ad instantiam Archiepiscopi Mechlinienfis, doctrinam illorum Casuistarum reprobavit, & gravi censura notavit.

83. Obiter tamen advertendum est, non esse necesse ad recipiendam absolutionem à peccatis, & obtinendam justificationem per sacramentum poenitentiae, distinctè cognoscere illa mysteria; eorum quippe distinctus conceptus difficillimus & obscurissimus est; sed satis esse illa quoad substantiam credere: sufficit enim explicitè credere Filium Dei fuisse incarnatum, & non requiritur ut sciatur unionem esse factam in supposito, non in natura. Similiter sufficit explicitè credere, esse unum Deum, & tres Divinas Personas, quarum una est Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus: non est verò necessarium scire explicitè, Filium esse Verbum, & procedere per cognitionem, & Spiritum Sanctum esse amorem, & procedere per voluntatem. Unde D. Thomas hic art. 7. ait *Alias subtiles considerationes circa Incarnationis articulos (idem dicendum de Trinitate) tenentur aliqui magis vel minus explicitè credere, secundum quod convenit statui & officio unicuiusque.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

84. **O**bjicies primò: Illud non est necessarium ad justificationem, necessitate medij, sine quo homo potest justificari: Sed in nova lege homo potest justificari absque fide explicita Incarnationis: Ergo talis fides non est necessaria necessitate medij ad justificationem. Major patet: Minor probatur primò exemplo Cornelij: *Ille enim, ut ait D. Thomas infra quæst. 10. art. 4. ad 3. habebat fidem implicitam Christi, nondum manifestatâ Evangelij veritate, unde ut eum in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus.* Idem docet 3. p. quæst. 69. art. 4. ad 2. ubi dicit, quod Cornelius, & alij similes, consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicitè, vel explicitè: postmodum tamen in baptismo majorem copiam gratiae & virtutum consequuntur.
85. Secundò probatur eadem Minor: Si homo nutritus in sylvis, vel apud barbaras Gentes educatus, ubi nihil unquam audivit de Evangelio, nec audire potuit, sequeretur ductum rationis naturalis in fugam mali, & prosecutionem boni honesti, ille justificaretur à Deo, ut suprà art. 3. dicebamus: Sed ille tunc non haberet fidem explicitam mysterij Incarnationis & Trinitatis, cum nihil unquam de illis audivisset: Ergo homo potest justificari sine fide explicita mysterij Incarnationis & Trinitatis. Simile argumentum fieri potest de puero perveniente ad primum instans usus rationis: si enim ille tunc se convertat in Deum ut Authorem naturæ, eligendo sequi bonum honestum & rationi consonum, justificabitur; sin minus, peccabit mortaliter, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 89. art. 6. Atqui in illo instanti non potest instrui, seu illuminari de Incarnationis & Trinitatis mysteriis, sed ad hoc aliquod tempus requiritur; cum modus intelligendi plura in unico instanti non sit humanus, sed angelicus, præferim in illo primo instanti usus rationis, in quo nimis confusè homo intelligit: Ergo puer in illo instanti, per solam fidem implicitam Incarnationis & Trinitatis, justificari potest.
86. Tertiò suadet eadem Minor: Catechumenus,

A qui successivè edocetur de rebus fidei, prius audiens Deum esse, & remuneratorem, ac providorem supernaturalem, poterit elicere actum fidei, & in Deum ut Authorem supernaturalem credere: postea autem cognitione supernaturali Dei, potest actum dilectionis Dei, ut est finis supernaturalis, elicere: unde cum actus charitatis cum peccato stare nequeat, ille antequam quidquam de Incarnatione & de Trinitate audiat, subindeque antequam illa mysteria explicitè credat, justificari poterit.

Denique probatur eadem Minor: Inter Christianos sunt aliqui homines adeò rudes, & stupidi, ut mysteria Incarnationis & Trinitatis vero conceptu apprehendere non valeant, nec per consequens ea explicitè credere. Idem est de muris, ac surdis à natiuitate, vix enim possibile est nuntius ac signis eos instruere de substantia horum mysteriorum, ut ea explicitè credant. At illi possunt justificari, alioquin ipsis neganda esset absolutio, & alia Sacramenta, quamvis facerent quod in se est, ut quæ tenentur scire addicerent: Ergo sine fide explicita Incarnationis, & Trinitatis, qui illa mysteria invincibiliter ignorant, justificari possunt.

Aliqui ex nostris Thomistis, ut ab his difficultatibus se expediant, docent, quod quamvis per se loquendo homo, post sufficientem Evangelij promulgationem, sine fide explicita Incarnationis & Trinitatis justificari nequeat, interdum tamen per accidens, absque tali fide, justificationis gratiam obtinere potest, per solam fidem explicitam Dei, ut authoris & provisoris supernaturalis. Quod ut magis explicant, dicunt duo esse genera mediolorum, quæ sunt ad salutem necessaria; quædam ex natura rei talia sunt, ut gratia, & charitas; & sine illis nunquam homo, etiam per accidens, & supposità ignorantia invincibili, justificationem & salutem consequi valet: alia sunt talia tantum ex institutione & voluntate Dei, ut Baptismus vel Poenitentia, & sine illis in re habitis salus interdum obtineri potest, per solum votum & desiderium ipsorum; & hujus generis dicunt esse in nova lege fidem explicitam mysterij Incarnationis & Trinitatis.

D Sed hæc solutio & doctrina displicet: tum quia suprà ostendimus, post sufficientem Evangelij promulgationem, fidem explicitam Christi esse ad justificationem & salutem necessariam, non solum in voto, sed etiam in re: tum etiam quia ex illa sequeretur, hominem per accidens, & in aliquo casu extraordinario, posse consequi salutem, absque fide explicita Dei, ut Creatoris & Authoris supernaturalis, cum talis fides non sit medium ex natura rei ad salutem necessarium, sed tantum ex institutione & voluntate Dei, qui posset, si veller, homines justificare & salvare absque tali actu, & per fidem explicitam aliorum attributorum. Addo quod, si homo post sufficientem Evangelij promulgationem, per accidens absque fide explicita Incarnationis justificari posset, inutiliter omnino D. Thomas, suprà relatus, recurreret ad modum extraordinarium instructionis in illis qui nihil unquam audiverunt, vel audire potuerunt de Evangelio, ac inutiliter doceret, quod si aliquis instructionem de mysterio redemptionis non haberet, Deus illud ei revelaret, nisi ex sua culpa impediret: talis enim modus extraordinarius instructionis non esset necessarius ad justificationem, ut de se patet. Unde hæc solutio prætermittenda.

90. Ad argumentum respondeo, concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem primò dici potest, fidem explicitam de Christo non esse necessariam ad justificationem, nisi post sufficientem Evangelij promulgationem: tempore autem Cornelij non fuerat sufficienter quoad omnes promulgatum Evangelium, etiam in Palestina; cuius indicium est, quia non solum ad illum baptizandum, sed etiam instruendum de fide, missus est Petrus Actuum 10. Secundò respondeo, Cornelium habuisse tunc fidem explicitam Incarnationis quoad substantiam, quam, ut ait D. Thomas, à Judæis commorantibus in Cæsarea acceperat, & fuisse à Petro instructum de circumstantia temporis, quia ignorabat, an adhuc esset completa. Unde quando idem S. Doctor locis citatis ait, quod Cornelius habebat fidem implicitam Christi, & cum ea iustificatus est, hoc debet intelligi de fide implicita, quoad circumstantias Incarnationis, non verò quantum ad ejus substantiam.

91. Ad secundam, concessa Majori, nego Minorem: nam si homo nutritus in sylvis, vel apud barbaras nationes educatus, ubi nihil unquam audivit de Evangelio, bene viveret secundum legem naturalem, ex auxilijs divinæ gratiæ (sine quibus tota lex naturæ observari diu non potest) tunc ex iisdem auxilijs facienti quod in se est Deus non denegaret alias gratias actuales, necessariò necessitate medijs prævijs ad justificationem, inter quas est fides explicita in Christum Redemptorem, quam Deus illi concederet, vel mittendo aliquem Prædicatorem, vel aliquem Angelum ad illum instruendum, vel illum immediatè per seipsum illuminando interiùs de tali mysterio. Unde Act. 8. legitur Deum misisse Philippum ad Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, ut illum de fide Christi & mysterio Incarnationis instrueret, & baptizaret. Et D. Dionysius cap. 5. Cœlestis Hierarchie dicit multos Gentilium adeptos fuisse salutem per ministerium Angelorum, ut art. 3. retulimus. Item S. Thomas hic art. 7. ad 3. ait quod multis Gentilium fuit facta revelatio de Christo, & in hujus rei confirmationem refert, quod tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris ejus, inventum fuit quoddam sepulchrum, in quo jacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: *Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O sol sub Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis.*

Ad aliud exemplum de puero, ad primum instans rationis perveniente, dicendum est, instans illud non esse physicum, sed morale, subindeque aliquam temporis moram, seu durationem includere, in qua puer potest vel immediatè à Deo, vel mediante homine, vel Angelo, de mysterio Incarnationis & Trinitatis instrui, seu illuminari, & per fidem explicitam utriusque mysterij, ad justificationem se disponere.

92. Ad tertiam dico, amorem illumerga Deum, quem Catechumenus potest concipere, ante propositam fidem explicitam Christi, esse quidem supernaturalem, sed tamen imperfectum, & non ex toto corde, sicut oportet ad justificationem: quia amor ex toto corde, qui est charitas, non est simplex complacentia de ipso fine ultimo, sed efficax tendentia & intentio finis, quæ requirit ordinem ad media, cum intentio non sit de fine simpliciter, sed in ordine ad media; atque adeò quia redemptio Christi est unicum & necessarium medium perveniendi ad finem, qui diligit Deum

A sine ordine ad hoc medium, etsi habeat complacentiam & amorem simplicem de fine, non habet tamen dilectionem efficacem, quippe qui nondum attendit, nec intendit media necessaria ad hunc finem.

Ad quartam dicendum, nullum esse adeò rudis ingenij, qui si sit compos rationis, mysteria Incarnationis & Trinitatis, sibi sufficienter propòsita, confusè seu quantum ad substantiam apprehendere non valeat, maxime ex auxilio supernaturali, quod Deus non denegat. Si autem contendas dari aliquos adultos, qui, facta sufficienti diligentia & propositione, talia mysteria percipere, seu apprehendere non valent, dico quòd se habent, quantum ad hoc, sicut amentes & parvuli, qui sine ullo actu fidei salvantur: quod Adversarij dicere tenentur de illis, qui adeò bardi & stupidi sunt, quod Deum ut authorem & provisorum supernaturalem apprehendere non valent; cum in eorum sententia ad justificationem requiratur fides explicita de Deo, ut authore & provisorum supernaturali.

Objicies secundo: Apostolus ad Hebræos 11. explicans quænam explicitè credenda sint ad justificationem & salutem, ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remuneratorem sit:* Sed in his verbis nulla fit mentio de Christo ut Redemptore: Ergo in nova lege fides explicita Incarnationis non est medium ad justificationem & salutem necessarium.

Respondeo cum D. Thoma in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4. ad 1. quod Apostolus loco citato posuit illa quæ oportuit credi explicitè à quolibet homine in quocunque statu, sed non excludit quin in statu legis gratiæ debeamus explicitè credere Christum Redemptorem, cujus virtute justificamur & glorificamur; quamvis fides illa explicita de Christo non sit necessaria ad justificationem & salutem, ex natura rei, sed ex institutione & beneplacito Dei, qui sicut non redemit genus humanum, nisi per Christum, licet occurrerent alij modi, ita noluit aliquem justificari, nisi per fidem Christi explicitam in nova lege, & implicitam in antiqua. Nec propterea est coarctata via ad salutem, ut aliqui opponunt, quia & præstò sunt auxilia ad hujusmodi fidem explicitam habendam, & modò abundantior datur gratia, quam in lege veteri, & per ipsam incarnationem homo mirum in modum ad amorem Dei excitatur & inflammatur; nam ut canit Ecclesia, *dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapimur.* Adde non esse inconveniens, quod lex nova sit gravior quam antiqua, quoad actus interiores, licet sit facilior ex gratia, ut ex D. Augustino docet D. Thomas 1. 2. quæst. 107. art. 4.

E

DISPUTATIO VII.

De actu exteriori fidei.

Ad questionem 3. Divi Thomæ.

Considerato actu interno fidei, superest ut de actu ejus exteriori disputemus, nimirum de confessione seu professione ejus, quæ actus fidei exterior dicitur, quia est extrinsecam potentiam in qua subjectatur fides, nimirum